

P R A E F A T I O.

que rerū cognitionem accedat, nisi prius  
annumerandi artem addiscat. Quo dicto  
hoc innuit, nihil in omnibus humana vi-  
tæ actionibus citra Arithmetices cog-  
nitionem solidè addisci, aut rectè geri, mul-  
tò minus rerum diuinarum notitiam ali-  
quam sine hac haberi posse. Hæc enim so-  
la est, qua homo à brutis animātibus dif-  
fert: hac ordo rerum omnium, sine quo  
nihil in rebus humanis subsistit, constat.  
Quid multa? Qui numerorum cognitio-  
ne caret, non homo, sed vmbra hominis  
dicendus: siquidem neq; ratiocinari, neq;  
discursum aut delectum in rebus habere  
talis homo nouit, vnde non aliam quàm  
alogam, sine ratione vitam agit. Sed hæc co-  
piosius differere alterius fuerit temporis.  
Pro tyronibus ergo, vt dixi, præcepta hæc  
tum conscripsi, quorum cognitione ex-  
acta habita, ad altiorem & pleniorē re-  
rum intellectum nullo negotio aspirare  
poterunt. Distractis autem priorū editio-  
num exemplaribus omnibus, totū hunc  
libellum de integro modò recognoui, &  
expoliui. Nitidiorem itaq; & instructiorē  
nunc prodeuntem libellum tibi iterum  
propterea nuncupo, vt hoc studiū com-  
misso tibi scholastico gregi, præsertim si  
qui